

AN. 522, 4.

B. 1




MEDICI
INSIGNES
HUMANITATIS STUDIORUM
VINDICES

QVORUM DECADEM
EX HISTORIA LITERARIA
INSTAR SPICILEGII CUIUSDAM
CONQUISIVIT
FRATREM GERMANUM
AUGUSTUM CASPAREM
LOESCHERUM
GRADUM DOCTORIS MEDICINAE
IN ACADEMIA IENENSI
CAPESENTEM
ALLOQUENS
VALENTINUS ERNESTUS LOESCHERUS IUN
LITERAR. HUMAN. STUD

DRESDAE XII. CAL. SEXTIL. A. R. S. CIO TO CC XXXVI

EX OFFICINA HARDETERIANA







AMANTISSIME FRATER!

Conqueruntur plures, quibus salus reipublicae literariae curae cordique est, in praecipitium ruentes scientias propemodum omnes; Nihil tamen secius haud paucis e contrario asseverare non dubitant, eruditionem hanc nostra aetate ad summum fastigium usque adeo evadere esse, ut vix ac ne vix quidem eiusdem felicitati aliquid addere eamque ulterius amplificare possent quisquam: Verum enim vero abundet suo quisque sensu; Hoc saltem nemo recte sentientium facile inficias ibit, humanitatis studia per aliquot lustra plus decrevisse, quam incrementum cepisse. Causas fati huius, quod elegantiores hae literae expertae sunt, meum non est scrutari, & supervacaneum id quoque duco, cum in easdem iam viri harum rerum peritissimi satis superque inquisiverint, (α) & has eo magis deplorarint, quo maiora pericula orbi erudito exinde imminetia animadverterunt. Quod si autem verum est, quod tamen nemo dubitat, literas humaniores esse alas, quibus & aliae disciplinae se provehant ceterisque se commendent: Quivis mihi hoc dabit, neglectum illarum altioribus, ut nominantur, studiis ruinam omnino minitari, & inter (β) impedimenta sapientiae non ultimum locum tenere.

A 2

Non

(α) RAYNAUDUS in Delineatione Threnodiae literariae, aliique. Prae ceteris autem has exquisite ostendit Illustris BERGERUS in Praefat. Tractatus de Pulchritudine Orationis.

(β) EPHRAIMUS GERHARDUS in Diss. de praecipuis sapientiae impedimentis ait: *Obest omnino sapientiae humilis de literis humanioribus persuasio,*

Non quidem defunt nostris temporibus, qui multo aliter sibi persuasum habent, existimantes, haud opus esse, linguis multum immorari, sacris literis & Iurisprudentiae deditos quandoque illas iuvare, Medicis vero & Philosophis saltem non admodum frugi esse, illis ut diu inhaereant, siquidem curationes morborum & convictiones animorum, non eloquentia verbisque latinis graecisque, sed remediis idoneis & rationibus solidis fieri, omnibus notum atque compertum sit. Quantum vero hi a recto veritatis tramite aberrant, quantumque detrimenti afferant reipublicae literariae sic opinantes, inter omnes ultro constat: Tantum itaque abest, ut maturiori praediti iudicio horum vanae persuasioni accedant, ut potius melioris sententiae omnino participes sint. LENTILIUS ipse Medicus fatetur, (*γ*) *se nunquam humanioribus studiis destitutum Medicum vidisse quenuquam eximium.* Et GRACCHUS in *Medico huius seculi idem sentiens*, ait: *Medicinam sine humanioribus aggredi velle, esse aquam tundere in mortario.*

Ab horum sententia, FRATER DULCISSEME, Tu quoque, quod satis & explore scio, minime discedis. Omni enim tempore delectatus es elegantioribus his studiis, & memini, me saepius totum Te exhilaratum videre, quando Tibi contigit, Medicorum quendam invenire his necessariis subsidiis bene innutritum. Non iniucundum itaque Tibi fore confido, si hac commoda occasione, cum officium & meum erga Te studium calamum arripere mihi iusserit, Medicos aliquot insignes humanitatis studiorum vindices, amoenae recordationis ergo sistere & in medium proferre, allaborem. Factum id quidem est longe praestantius & uberius a celeberrimis bonarum artium Doctoribus, IACOBO BURCKHARDO, (*δ*) WILISCHIO (*ε*) & aliis. Sed liceat mihi discenti adhuc horum & inprimis prioris exemplo excitato, spicile-

qua, qui iudicium in crumena habent, illas alto supercilio contemnunt. Inde insuper habitis linguarum, eloquentiae solidioris fundamentis, promerunt plurimi ad facultates superiores, ut habeamus Theologos, JCros, Medicos, & inter hos tamen desideremus eruditos. p. m. 42.

(*γ*) in praefat. Tab. consultator. Medic. p. 12.

(*δ*) edidit enim hic iam anno 1716. Tractatum sub Titulo: Medicus gravissimus humanitatis studiorum vindex, una cum IOANNIS CASELLI Epistola eiusdem fere argumenti

(*ε*) in Commentat. de Medicis literarum humaniorum doctrina ad memoriam posteritatis insignibus.

cilegium quoddam post messem instituere, & Medicorum studiis humanitatis exornatorum, quorum a celeberrimo BURCKHARDO nondum mentio facta est, e numero huc dum ex Historia Literaria collecto ampliori, Decadem hac vice in publicum producere. Ornant videlicet & decorant ordinem Medicorum vindices bonarum artium serie chronologica sibi invicem iam insequentes:

CONSTANTINUS AFRICANUS, patriam agnoscens Carthaginem, in vivis fuit sub finem Seculi XI. Per quadraginta annorum spatium varia & graviora per plures regiones itinera fecit, atque in iisdem notitiam linguae Latinae, Graecae, Persicae, Gallicae, Arabicae, Aegyptiacae, Aethiopicae & Iudaicae sibi comparavisse, fertur. Cum reversus esset in patriam, in conterraneorum suorum invidiam, imo ob splendorem scientiae suae in periculum internecionis incidebat, & salutem fugam petere cogebatur. Latens aliquamdiu Salerni, agnitus fuit a Regis Babyloniorum fratre, qui eum in aulam suam receptum singulari gratia amplexus est; Sed postea vitam monasticam in monte Cassino sponte elegit, ubi quoque grandaevus vitam finivit. Plagii accusatur, cum pleraque scripta, quae sub eius nomine Basileae 1539. conjunctim prodierunt, tantummodo interpretationes librorum alienorum exhibeant. Id quod HERMANNUS CONRINGIUS in Dissertat. III. de Antiquitat. Acad. p. 98. probat. Codices MSCTi eius adhuc varii in Bibliothecis asservantur. Adeatur STOLLIUS in Histor. Literar. Medica p. 113. seq.

PHILIPPUS BEROALDUS lucem aspexit Bononiae anno 1450. Eximius Philosophus, Medicus & Rhetor extitit. Literas elegantiores a pueris adamavit, & in iisdem addiscendis optimis praecceptoribus in patria usus ita profecit, ut postea publici Doctoris earundem munere primum Parmae, deinceps Lutetiae & tandem Bononiae magna cum laude fungi potuerit. Historiae quidem & Chronologiae etiam non expers fuit, sed conatus eius in iisdem SCHURTZFLEISCHIO minime laudantur, quin eum in illa infeliciter, in hac minus accurate versatum dicat, adeo ut Secta quaedam BEROALDITARUM hinc appellari coeperit. Stilum eius Archaicis admodum refertum iudicant eruditi, qui eius Commentarios in varios Auctores classicos evoluerunt. Edidit enim Annotationes in CICERONEM, LIVIUM, OVIDIUM,

HORATIUM & MARTIALEM, quae in unum volumen collectae variis locis impressae sunt. Quicquid autem stilo eiusdem desit, merito tamen inter restauratores bonarum artium numeratur. APULEIUM primus vulgavit, & de vita decessit anno 1504. vel ut alii volunt. anno 1510. conf. VARILLASH Anecdota Florentina, p. 320.

VICTOR TRINCAVELLA natus est anno 1496. ex nobili familia Veneta oriundus. Celebratum inter Medicos nomen adeptus est. Literis operam navavit Patavii aequae ac Bononiae. Quo postremo loco cognitione exquisita linguae graecae adeo inclaruit, ut cognomine Graecus appellaretur. Doctor artis salutaris & Senator Venetus creatus est. Medicinam fecit ac docuit Venetiis & Patavii. Multos ingenii foetus cum publico communicavit, qui extant in eiusdem operibus Lugduni & Venetiis typis vulgatis. Spectant ex iisdem ad humanitatis studia editio STOBÆI, cuius mentio fit Lib. VI. Epist. Famil. BEMBI & Scholia in HERMOLAI BARBARI Themistium. Graece quoque emisit SIMPLICIUM & IOANNEM GRAMMATICUM. Varia denique ex GALENI Operibus in latinum idioma transtulit, & diem supremum, quem praescivisse dicitur, Venetiis 1568. obiit. Vita eius legitur Tom I. Operum. Adeatur & STOLLIIUS l. c. p. 136. seq.

IOANNES BAPTISTA MONTANUS, Antecessor TRINCAVELLAE in Academia Patavina, aetate autem duobus annis minor; Natus enim est anno 1498. Veronae ex nobili familia. Profecit in schola NICOLAI LEONICENI & insignis fuit Poëta, sed nulla artis huius suae monumenta reliquit. Romae quoque & Neapoli Medicinam exercuit, & posteriori loco Poëmata PINDARI publice exposuit. Amicos habuit eruditos ac celebres IOVIANUM PONTANUM & ACTIUM SINCERUM SANNAZARIUM; Imo benevolentia singulari eum dignatus est magnus ille eruditorum Patronus, HIPPOLYTUS de MEDICES. CONRINGIO teste tantam auctoritatem sibi eruditione sua acquisivit, ut in eum GALENI animam quasi transvolasse creditum pene fuerit. SCHELLHAMMERO ideo audit genuinus GALENI interpres. Graecorum aequae ac Arabum scripta accuratissime legit & expendit, ipse tamen nihil in lucem edidit, sed discipuli eius eo adhuc supersistere labores eiusdem eruditos, minus vero curate, & vulgarunt, quapropter valde conquestus

flus est. Anno 1551. extinctus est calculo in praedio suo prope Veronam sito, quo se, obitum suum appropinquantem perferens, receperat.

IACOBUS SCHEGKIUS in lucem editus est 1511. Schorndorffii, oppido ditionis Wurtembergicae. Literis humanioribus imbutus est in instructione IOANNIS THOMAE, discipuli IOANNIS CAPNIONIS, & anno aetatis decimo sexto non tantum latinae, sed etiam graecae & ebraeae linguae, artiumque dicendi fundamenta ita feliciter iecit, ut altiora aggredi potuerit. Adolescens & vix vigesimum annum asecutus, Lectiones publicas in VIRGILII Bucolica & THEOGNIDEM Tubingae, ubi deinde Rector Contubernii, ut vocabatur, factus, & Gradum Magistri adeptus est, cum applausu habuit. Postea totum quinquennium studiis Theologicis (S) tribuit, a quibus vero transit ad Iurisprudentiam; Vix autem sibi illam delegerat, commotus a WILHELMO BIGOTO, suo familiari, se contulit ad Medicinam, in qua excolenda, beneficio solidioris peritiae in lingua graeca, brevi tempore tantos fecit progressus, ut mox in Doctorem artis suae evaderet. Medicinam nunquam fecit, sed tamen docuit, & libros Galeni diligentissime explicavit. THEOGNIDEM eleganti carmine latino expressum, aliaque Poëmata graeca & latina edidit. Naturae debitum solvit anno 1587. Scripta eius Philosophi-

(S) In Theologia SCHEGKIUS ad tantum cognitionis gradum pervenit, ut veritatem coelestem saepius scriptis defenderet. Habet quidem Tractatus eiusdem de una persona & duabus naturis in Christo in Hist. Lit. Theol. maculam quandam sibi adpersam; Meliorem tamen operam praestitit variis scriptis adversus Anti-Trinitarios.

Hoc sane Ordini Medicorum laudi non vulgari ducitur, quod ex eo viri prodierint meritis clari *erga Scripturam sacram*, quos dedit IO. HENR. a SEELEN, *erga Ecclesiam Christianam*, quos colligere licet ex CHRISTIANI BENED. CARPZOVII Diss. de Medicis ab Ecclesia pro sanctis habitis, *erga Ecclesiam in specie Lutheranam & eiusdem Confessionem Augustanam*, quos tradidit beatus meus Patrus MARTINUS GOTTHELFF LOESCHERUS, *erga Theologiam*, quorum aequae complures sunt IOANNES GEORGIUS MEINTEL, tradens aliqui Theologos Philiatros. Taceo iam Philosophiam, Historiam & Iurisprudentiam, quas omnes & singulas Medici, ut in vulgus notum est, varie multumque savarunt.

sophica, medica & theologica recenset MELCHIOR ADAMI in vitis germanorum Medicorum.

ANUTIUS FOËSIUS natus Metis anno 1528. Charactere Doctoris exornatus in patria Medicinam exercuit. Magni faciebat veterum scripta, ideoque illa omni studio diurna nocturnaue manu volvebat, in quo negotio eo felicius versari poterat, quo magis eum singularis notitia graecae linguae iuvabat. Praecipue famam sibi comparavit editione Operum HIPPOCRATIS pleniore & aucta. Admovit enim hisce Operibus obstetrices manus, variaque scripta in illis occurrentia rite ordinavit, annotationibus illustravit, variantes lectiones ex omnibus & singulis Codd. MSCTis antiquioribus conquisitas & novam interpretationem a se conditam adiecit. Praeterea quoque apposuit PALLADII Scholia graeca in librum *περι ἀγγυμάτων*, antea nondum typis impressa. Obiit loco patrio anno 1596. Adeatur MERCKLINI Lindeniensis Renovatus, p. 84. & post illum STOLLII I. c. p. 14.

THEODORUS ZWINGERUS introivit in vitam Basileae, anno 1533. Invito parente se studiis addixit, quorum causa Lugdunum ad Rhodanum concessit, ibidemque & arti typographicae & bonis literis per triennium studuit. Philosophia deinceps Parisiis a PETRO RAMO imbutus est, & Medicinam didicit Patavii, duce potissimum BASSIANO LANDO & TRINCAVELLA. Domum reversus, vocatus Professor graecam linguam methodo felici docuit, ubi quoque Ethices & Politices, tandemque artis salutaris Professionem sustinuit. Ex matre affinem habuit IOANNEM OPORINUM, & ex consuetudine quotidiana familiarem THUANUM. Scripsit Commentarios in CATONIS & VARRONIS Rustica, in GALENUM, HIPPOCRATEM, ARISTOTELEM aliosque, & quod prae ceteris eminet, *Theatrum vitae humanae* Languens & lecto iam affixus Odam in Psalmum CXXII. composuit & piis hisce meditationibus praeparatus animam efflavit in patria anno 1588. Adeatur ADAMI I. c.

Addo his antiquioribus vindicibus tres nostrae huius aetatis exquisitissimos, quorum postremi etiam nunc in studio humanitatis omnes

omnes fere alios sui ordinis post se relinquunt. Hos inter primam sibi vindicat locum

ADAMUS BRENDELIUS, Medicinæ & Philosophiæ Doctor, in literatura graeca veratissimus & diligentissimus. Extant enim huius rei testimonia varia & egregia, e quibus iam Dissertationes quasdam idiomate graeco ab ipso exaratas, tantummodo exhibeo. Habuit nempe Dissertationem ex antiquitat. τὰ περὶ τὴν ἐγκοιμῶσιν, anno 1701. Diff. Med. περὶ τῶν Φαρμάκων ἐν τοῖσιν ἰερούσιν ἐγκοιμῶσει παρὰ Θεῶν ἠτημένων. anno eodem, quae Dialecto Ionica, Principi Medicorum familiari, conscripta est, & Diff. Mathematicam, τὰ περὶ τὴν μέγεθριν, anno 1702. Quantum ceteroquin tribuerit humanioribus studiis, testatum reliquit in Epistola ad UTHIUM, Medicinæ cultorem, qui in modo dicta Dissertatione Mathematica Respondentis partes tenuit, quem votis prosequens ita alloquitur: *Delector ingenio tuo, quod non ignavo consopitum languore obtorpet, aut inglorio otio, sed in literis existit iisque elegantioribus, quas cum sapientiae studio, quo nihil praestantius humano generi a Deo immortalis datum est, coniungis & pari industria excolis. Multi quidem Philosophiae operam navant, sed idoneis destituti subsidiis, ex lacunis & ineptiarum sordibus hauriunt, fontes autem aspernantur, & aspera, ac illa salebrosa contenti, ne adspirare quidem ad reconditos sapientiae fructus cupiunt. Aliter se instruxerunt Cl. Medici - - Horum vestigiis insistis, & hac Dissertatione, quam perevudite defendisti, doces, Te neque graecarum literarum, neque veteris illius Matheseos expertem esse, sed veterum aequae ac recentiorum placita tenere, & cum Medicina, quae sine illis manca est, consociare. Quapropter non contemnendum capies fructum & rectius Artem addisces, ac idoneis instructis subsidiis feliciter Medicinam facies.* Wittebergae BRENDELIUM provinciam Professoris Anatomices & Botanices administravit & Academia adhuc praematurum eius obitum luget.

DANIEL WILHELMUS TRILLERUS, vir extra Academiam quidem vitam degens, & Praxin Medicam exercens, sed nulli Doctorum in Academiis versantium doctrina & eruditione cedens, quin imo multos antecellens. Scripta eius erudita, quibus artem salutarem collustravit, summo cum applausu non Medicorum solummodo,

modo, verum etiam omnium, qui bonis literis favent, excepta sunt. Transeo iam Tractatum eiusdem practicum *de officio Medici praesentibus contraindicantibus*, qui iam ab anno 1701. Medicinae Clinicae cultoribus arrisit; Labor autem insignis, quem in adornanda nova editione HIPPOCRATIS per XII. & quod excurrit, annos, infumit, cunctis ceteris palmam omnino praeripit, atque ex commentatione eius, qua animum de suo hoc instituto aperit, & Speciminis loco Libellum HIPPOCRATIS de Anatome recensuit, emendavit & Commentario Medico-Critico perpetuo illustravit, eruditi TRILLERUM iudicarunt, tanquam ex ungue leonem. Annotationes, quas Textui HIPPOCRATIS subiecit, produnt, quantum praeter Graecam in Ebraea, Chaldaica, & Arabica lingua valeat TRILLERUS. Huic laudatae commentationi, quae Lugduni Bat. 1727. 4. impressa est, in Epistola Medico-Critica ad FREINDIUM iam anno 1720. praelusit, in qua simul agitur de variis HIPPOCRATIS Editionibus MSCtis, de eius stilo & Dialecto, variaque ipsius emendantur loca. Praeterea eius industriae respublica literaria debet opusculum 1719. in 8. editum, quo HIPPOCRATES Atheismi falso accusatus, contra D. NIC. HIERON. GUNDLINGIUM defenditur. Et denique celebris hic Vir locum omnino occupat inter Medicos de Ecclesia Christiana bene meritos, editis meditationibus, ligato sermone germanico pro veritate religionis christianae conscriptis. Plura de eius eruditibus laboribus suppeditant Nova Literaria de anno 1720. p. 185. & 1721. p. 150. Addantur die neuen Zeitungen von gelehrten Sachen, 1729. p. 61. seq.

IOANNES HENRICUS SCHULZIUS. Hunc virum, qui facile princeps Medicorum huius aevi de bonis literis meritorum dicendus, (*) anno 1687. protulit pagus quidam Colbitz in finibus Marchicae veteris situs. Fundamenta linguarum iecit in Paedagogio, quod Halae floret, ad quarum studium relictis etiam subselliis praceptorum omni opere adnixus fuit, adeo, ut linguas exoticas quoque non intactas relinqueret, quas inter Arabicam ita tandem calluit, ut illam alios pluris vicibus docere potuerit. Quantum in linguam graecam


(*) SCHULZIUS iam pridem vindiciis bonarum artium ab eruditis annumeratus est. vid. Act. Erud. 1729.

cam penetrarit, perhibet eius Grammatica graeca idiomate germanico scripta. Ad illustrandum VIRGILIUM Aeneid. XII. vers. 397. edidit Programma. Omnia & singula eius scripta, edita & inedita, recenset GOETTENIUS im I. Theil des jetzt lebenden Europae, p. 436. ubi & vita eius legitur. De cetero Hala SCHULZIUM iam anno 1717. caractere Doctoris Medicinae exornavit, & ipse adhuc ornat Halam, Professionem Eloquentiae & artis salutaris cum laude ibidem sustinens. Noribergensium Academia illum quoque aliquamdiu Doctorem habuit; Sed mater, quae cum progenuit aluitque, sibi ipsi paulo post hunc iterum vindicavit.

Habes itaque, **CARISSIME LECTISSIMEQUE FRATER**, Medicos optimis literis instructos, quorum memoriam hac Decade renovatam instauratamque, in artis medicae splendorem haud exiguum, asservare atque celebrare, operae pretium duxi. Seriem hanc eruditorum Medicorum omnino illustriorem reddere potuissem, si mihi integrum fuisset, huic duo adhuc lumina Ordinis Tui addere, quibus nostra aetate Witteberga & Hala, imo omnis Germania illustratur; Duumviros innuo celeberrimos, IOANNEM GOTHOFREDUM de BERGER, & FRIDERICUM HOFFMANNUM, proh! quantos Doctores, a quorum ore pependisse, Te saepenumero felicem praedicavisti: Sed hi messe a doctissimo BURCKHARDO instituta, iam anticipati sunt, adeoque spicilegii mei fines excedunt. Hisce vero duobus, aliisque praestantissimis Praeceptoribus in utraque Academia usus cum sis, & propria huc dum experientia edoctus, res Tuae summo adspirante Numine, Tibi ita feliciter successerunt, ut tertia Academia, incluta Jenensis, eiusdemque praecipue Ordo Medicorum Gratiostissimus, iam Tuam industriam probet, ac Tibi futuro die Mercurii, qui stilo Romanis usitato VIII. Cal. Sextil. & in fastis ortu FRANCISCI PHILELPHI, egregii illius Seculi XV. bonarum literarum restauratoris, conspicuus est, Privilegia & Insignia Doctoris, solenni ritu concedat atque tradat. Qua de re & ego ex interiori cordis affectu Tibi mea, mi **FRATER AMANTISSIME**, persolvo vota.

Gratulor Tibi dignitatem collatam, ceu praemium laborum amplissimum. Gratulor & mihi fratrem, cuius praeclaro exemplo ad progrediendum eo alacrius in studiorum meorum stadio me saepius incitatum esse, sincero pectore fateor. Adfistat Deus T. O. M. etiam in posterum consiliis & negotiis Tuis benevole, ut Tibi omnia fauste, feliciter prospereque eveniant. Conseruet Almus Numen VENERANDUM NOSTRUM PARENTEM diu adhuc supersitem, saluum, sospitem. Huius enim voti ardentissimi compotes facti uterque nostrum, solatio perfruimur, quo sane, ex illis, quae ad seculum pertinent, a Deo maius expetere non possumus. Vale.





B.I.G.

Farbkarte #13

B. 1



MEDICI
INSIGNES
HUMANITATIS STUDIORUM
VINDICES

QVORUM DECADEM
EX HISTORIA LITERARIA
INSTAR SPICILEGII CUIUSDAM
CONQUISIVIT
FRATREM GERMANUM
GUSTUM CASPAREM
LOESCHERUM
DUM DOCTORIS MEDICINAE
IN ACADEMIA IENENSI
CAPESENTEM
ALLOQUENS
NTINUS ERNESTUS LOESCHERUS IUN
LITERAR. HUMAN. STUD

DAE XII. CAL. SEXTIL. A. R. S. CIO IO CC XXXVI

EX OFFICINA HARPETERIANA

